

DE LAUDIBUS
CLEMENTIS XII.
P. O. M.
ORATIO

HABITA

A' NICOLAO GALEOTTI

SOCIETATIS JESU

In Aula Maxima Collegii Romani.

Eminentissimo ac Reverendissimo Principi

NEREO

S. R. E. CARDINALI

CORSINO



Sanctissimi Dñi Nostri Fratrisfilio

DICATA.



ROMÆ, MDCCXXX. Typis Antonii de Rubeis, è Foro Rotundæ, in via ad Seminarium Romanum.

SVPERIORVM PERMISSV.

Eminentissime, ac Reverendissime

PRINCEPS.



Um quæ proximis hisce diebus, Eminentissime, ac Reverendissime Princeps, *de* Patruo Tuo Sanctissimo *publicè dixi, obser-*

vantiæ causa in lucem edere cogitarem, nunciatum illico fuit, Te nova dignitate auctum, eo cum bonorum omnium plausu, quem excitare debuit merces egregiis Tuis in Rempublicam meritis attributa. Quare nihil cunctandum sum ratus, ut Orationem hanc nomini inscribendam curarem Tuo, & inde illi, quod unum esse posset ornamentum accerserem. Quod enim CLEMENTIS *est, id omne ad Te pariter jure optimo pertinet: utpote qui ad illum proximè non tam cognatione sanguinis, quàm virtutum præstantissimarum similitudine accedis. Testis est Europa cuncta, quantum illæ se prodiderint in Regum aulis, cùm Legationibus obitis, tum rebus sapientissimè administratis. Quamquam non opus est nobis, qualem Te præstiteris antea, ab exteris nationibus percunctari.*

Siquidem maximæ omnium potestatis adjutor, & administer in hac Orbis terrarum luce positus illud fidei, vigilantiæ, sapientiæ, singularisque benigni-

tatis

tatis dedisti specimen, ut hanc ad benemerendum propensionem mutuatus planè videaris à Cœlite illo Beatissimo, qui spectata vitæ sanctimonia effecit, ne quidpiam Genti Tuæ nobilissimæ ad nominis immortalitatem deesset. Quando igitur gaudent universi præclaras hasce animi dotes, atque ornamenta tam illustri loco esse sita, patere me quoque idipsum Tibi qualicunque hoc oblato munere gratulari. Erit Pontifici Optimo gloriæ argumentum non leve, quod omni laude cumulatus IPSE PRINCEPS *ejus laudum patrocinium susceperis.*

FRANCISCUS RETZ

Præpositus Generalis Societatis Jesu.

CUm Orationem de laudibus CLEMENTIS XII. P. O. M. habitam in Aula maxima Collegii Romani a P: Nicolao Galeotti Societatis nostræ Sacerdote, aliquot nostræ Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita videbitur; cujus rei gratia has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Romæ 17. Decembris 1730.

Franciscus Retz.

Imprimatur,
Si videbitur Rmo P. Mag. Sac. Pal. Apost.

N. Baccarius Ep. Bojan. Vicesg.

Imprimatur.
Fr. Joachim Pucci Sac. Th. Mag., & Socius Rmi Patris Sac. Pal. Apost. Mag. Ord. Præd.

ORA-

ORATIO.



SI cui contigit, ut cum SUMMI PRINCIPIS laudes esset in amplissima virorum concione prædicaturus, nulla foret ei vel assentationis, vel arrogantiæ nota pertimescenda, illud profectò consecutus esse videor, cum data mihi provincia est, ut in hoc pleno Majestatis, & amplitudinis cœtu Sanctissimo Ecclesiæ Moderatori CLEMENTI XII. delatum Superioribus hisce Mensibus Pontificatus honorem, publico hujus Romani Collegii nomine gratularer. Etenim præterquamquod ea sunt illius in universam Remp. merita, ut tametsi dicantur de illo plurima, plura tamen ob eorum multitudinem prætermittere necesse sit, quis nos ad id muneris exequendum adductos esse non videat, non solum communis lætitiæ causâ, verum etiam, gratiæ alicujus pro collato nobis olim honore, quoquomodo possumus referendæ? Cum enim ab ineuntis adolescentiæ flore hoc Ille Gymnasium non minùs assiduitate suâ, quàm virtutum omnium, quibus ætas florere illa potest, lumine auxerit, ac decoraverit, succensere mihi potest, opinor, nemo, si laudes illas dicendo persequar, unde sentiam in has liberales quoque artes tantum ornamenti, ac decoris redundare. Ac si ullo tempore declaranda hæc à nobis voluntas fuit, hoc certè esse debet, cum universus Ordo noster, non sine Dei immortalis numine, in hanc Arcem omnium gentium convenit, ut quam in longinquis terris tam faustæ rei accepto nuncio lætitiam ceperat, coram nunc patefaceret, pedibusque Parentis Optimi suppliciter advolutus jucundissimo

ſimo ejus aſpectu, atque alloquio recrearetur. Ita fiet, ut ſi qua minus ornatè dicam, præſentia ſocii ſuâ aliquâ ſaltem ex parte ſuppleant, quæ maximo debetur Principi commendationem. Unum tamen ad cumulandum gaudium animadverto mihi eſſe adverſarium maximè, quod in tanta rerum dicendarum magnitudine, atque præſtantia neque unam præ alia ſeligere facili negocio poſſim, neque certum in dicendo mihi finem, rationemque præſcribere. Faciam igitur, quod advenæ regiam ingreſſi Urbem ſolent, qui modico ſibi ſpatio ad conſpiciendum dato, nullo pene diſcrimine quoquoverſus oculos, animumque circumferunt, reverſique ad ea, quę primo fuerant contemplati, rerum pulchritudinem hæſitantia linguæ potius, & animi ſtupore quodam, quàm exquiſito dictionis genere prædicant: Sic ego tot eximiarum CLEMENTIS virtutum admiratione defixus eò provehar oratione mea, quò me ſponte ſuâ conceptus quaſi quidam impetus rapiet: Quæcumque tamen dixero, expectate certè, Auditores, omnia plena laudis, honeſtatis, amplitudinis, plena gloriæ: Eum denique Principem vobis animo, & cogitatione depingite, qui omnia facta, atque conſilia ſua ad virtutem referat, ac dignitatem, & quo propterea ad Eccleſiæ præfecturam evecto, non tam delatum illi ſummum honoris gradum, quàm Sacerdotio ipſi magnum decus additum gratulemini. Nam ſi ex veterum ſapientum ſenſu ille verè appellandus eſt honor, qui perpetuæ virtutis eſt præmium, quid Eccleſiæ cunctæ accidere glorioſius poterat, quàm eum nanciſci Præſidem, qui non intermiſſo vitæ totius ſanctiſſimè, honeſtiſſimèque actæ curſu ad ſummum honoris faſtigium ſibi aditum patefecerit? Ac verè ut ad hujuſmodi gloriam contenderet, mirabiliter egregia omnia cùm naturæ, tum fortunæ munera conſenſerunt. Quæ enim in Heroibus procreandis felicior patria, quàm Florentinorum Civitas, quæ cum litterarum ſcientiâ, divi-

Cic. ep. fam. 10.

divitiarum copiâ, militari gloriâ, & incolarum nobilitate floruit quàm quæ maximè, tum in Sacrorum procuratione longè etiam plurimis antecellit? Ubi enim memoria vetera repetentibus non occurrent vobis Florentini Præsules, ac Purpurati Patres innumeri, qui partim Sanctitate morum, partim doctrina, atque consilio, partim denique immensis perferendis laboribus, ac morte ipsa constantissimè obita, egregiam Ecclesiæ operam non collocaverint? In hac ipsa Dignitatis Sede celsissima nonne solemne jam factum esse videmus, ut geminis unoquoque ferè Sæculo Florentinis Pontificibus universæ Christianæ Reipublicæ gubernacula committerentur? Verùm LAURENTIO CORSINO non externis opus erat exemplis, quandoquidem satis superque domestica suppetebant, quibus incensus incredibili flagraret veræ laudis comparandæ cupiditate. Cum enim in ea familia natus esset, in qua verus honor, ac splendor enituisset, fieri certè non potuit, quin excelsa omnia, atque præclara, & adolescente digna optimo cogitaret. Quâ quidem in re nolite à me quæso virorum illorum quasi censum instituì, qui ex CORSINA FAMILIA sive apud exteras nationes, sive etiam in patria gravissimis Reip. muneribus defuncti sunt. Supervacaneum esset enumerare singulos Patres conscriptos, Oppidorum Dynastas, Regios Consiliarios, copiarum Duces, Synifcalcos, quos vocant, Legatos, atque Oratores, quibus Gens ista Romæ, Florentiæ, atque in Hispania feliciter propagata sese commendavit memoriæ hominum sempiternæ. Alia enim obversabatur Principi nostro rerum præclarè gestarum gloria, ut ad sanctius amplectendum vitæ genus inflammaretur. Cogitabat ille secum, quantum de Religione meriti olim fuissent CORSINI illi Fesulanæ, ac Volaterranæ Ecclesiæ Moderatores, qui tametsi alieno Reipublicæ tempore, vel Sacris ferendis legibus, vel pravis hominum mo-

moribus corrigendis tantopere in retinenda vetere disciplina laboraverunt. Quantum Petrus ille Florentinus Episcopus, & S. R. E. Cardinalis amplissimus perhonorifica legatione sua, quam ad Carolum IV. Cæsarem objit, à quo ob conciliatam inter Pannoniæ Regem, aliosque Germaniæ Principes pacem, acceptum S. R. I. Principis titulum hæreditarium successoribus fecit. Quantum Americus Florentinus item Episcopus, qui ob eximiam, singularemque virtutem à Martino V. Pontifice primus omnium Provinciæ suæ Metropolitanus est constitutus: ut inde potissimum liqueat quicquid honoris est Florentinæ Cathedræ, sive à Pontificibus, sive à Cæsaribus attributum, id omne ab hujus familiæ nobilissimæ Gentilibus profluxisse. Quid illa duo nostra, Patrumque memoria Romanæ Curiæ lumina Octavianum, & Cardinalem Nereum dicam? Quorum alter ad Ludovicum XIII. Legatus in Galliam tantum laboris, ac studji contulit ad nefariam illorum Sectam hominum profligandam, qui à Romani Pontificis obedientia desciverant, alter verò eâdem legatione pari cum laude perfunctus, vel hoc nomine immortalitatem adeptus est, quod eam Fratris Filio, Principique nostro præbuerit institutionem, unde tanti in universos homines fructus essent consecuturi. Sed qui Adolescentem egregium domesticæ laudis oblivisci non fineres, tu eras in primis, Andrea Beatissime, qui ex illo piorum concilio non solum præsenti ope, sed eximiæ quoque sanctitatis exemplo sponte jam suâ currentem, veræ laudis, & gloriæ stimulis concitabas, efficiebasque, ut quemadmodum ipse tam insigni prodigio præsignificatus orbi fueras, ita Nepotem hunc tuum divinitus verè nobis datum, & quasi Cælo delapsum hominem arbitraremur. Ab his majoribus ortus Laurentius Corsinus nihil sibi studio habuit magis, quam ut acceptam ab illis gloriam insigni aliqua rerum pulcherrimarum accessione locu-

locupletaret. Itaque in Romano Seminario eloquentia, ac severioribus disciplinis excultus, in Pisano primum Athenæo, deinde verò hìc etiam Romæ totum ad humani, divinique juris cognitionem se dedit: sic, ut ingenio, labore, industria, atque profectu expectationem, quæ de ipso erat cæteroqui maxima, non sustineret modò, sed multis quoque partibus superaret. Incredibile verò dictu est, quàm propensa jam inde eluceret in eo ad virtutem indoles, quantamque vitæ innocentiam cum hujusmodi litteratura conjungeret. Abundabat ille divitiarum copia, cognationibus, atque affinitatibus florebat amplissimis, perpolito item ingenio, liberali specie, ac singulari affabilitate sermonis incredibiliter sibi animos conciliabat; & quamquam plura certè deesse non poterant in illo ætatis flexu voluptatum invitamenta, in Principe tamen nostro quid non moderatè, quid non verecundè, quid non piè, quid non religiosè dictum, aut factum animadverti umquam potuit? Ut quæ nunc est in CORSINO Pontifice morum gravitas, atque constantia, eamdem fuisse in CORSINO Adolescente affirmare, qui tunc ei erant contubernales, non dubitent. Quò minus mirandum est, si quid honoris foret, quo posset juvenilis illa ætas ornari, id omne ab æqualibus consensione mirifica sæpe numero LAURENTIUM obtinuisse. Magnum quippe jam tum Reipublicæ præsidium in Adolescente optimo præsagiebant, & quemadmodum Cyri illius delitescentis in silvis majestatem sentiebant pastores pueri, ita LAURENTII æquales ex tam egregiis moribus videbantur ejus, quæ futura deinceps erat, amplitudinis conjecturam capere. Neque diu expectandum certè fuit, donec ex umbratili, ac domestico vitæ genere in solem, ut ajunt, ac pulverem progrederetur. Ad capessendam Rempublicam bonorum omnium votis expetitus plures in ea perhonorificos Magistratus habuit, atque ita gessit, ut haud facile sit existimare, utrùm plus ei

se

ſe debere Pontificiæ ditionis homines prædicarent, an verò conaretur ipſe illorum commodis, atque utilitati proſpicere. Quid plura? Adeo ſedulitatem, ac vigilantiam probavit ſuam, ut ei Cameræ Clerico, Protonotario, ac Nicomedienſi Archiepiſcopo renunciato publici ærarii, Pontificiæ claſſis, Hadrianæ hujus arcis, aliarumque maritimarum præfectura committeretur. Videtis porrò, Auditores, quanta uni viro fuerit negociorum moles impoſita, quantaque propterea de ipſo fuerit bonorum omnium exiſtimatio. Equidem difficilem in primis, atque ancipitem rem eſſe arbitror, in eâ rerum varietate ita officium ſervare, ut in levem aliquam ſi minus culpæ, at erroris certè ſuſpicionem non venias. Sive enim gravitatem, ſive multitudinem, ſive opportunitatem ſpectes, quod tantum in hominem cadere conſilium poteſt, ut abſtruſiſſima quæque, atque recondita comprehenſa teneat, tamquam in conſpectu poſita? Quæ tanta animi magnitudo, ut in ſecundis rebus plus æquo non efferatur, & in adverſis non concidat? Quæ tanta in conficiendo religio, ut ne latum quidem unguem à juſtitiæ certa quadam præſcriptione deflectat? Ex his autem ſcopulis feliciter evaſit Corsinus, admirabilique altitudine animi fretus fructus uberrimos ex perfectione maximorum operum cæpit. Una dumtaxat in re ſolertia ejus, atque induſtria deſiderari plurimum viſa eſt; quòd cum maturus honoribus judicaretur, neglexit omnino ſeſe, maluitque benemereri de aliis, quàm quæ benemeritis debita eſſent præmia avidius, quàm deceret, expetere. Profitebantur operam illi ſuam proceres ſummâ gratiâ, atque authoritate apud Pontifices prædíti, ut ſi minus ea curare ipſe vellet, curari ſaltem aliorum rogatu, & commendatione ſineret: quibus ille cum magnam ſe habere gratiam diceret, hoc unice reſpondebat: optatis quidem ſuis eâ, quam tunc gereret, adminiſtratione cumulatiſſimè ſatisfactum: hoc unum ſe habere in votis,

ut

ut ipſe quoque aliis eo, quod injunctum ſibi fuiſſet, munere ſatisfaceret. O vocem ſapientiſſimo viro dignam, o continentiſſimæ, atque honeſtiſſimæ indicem voluntatis! Satius quippe ducebat plura adhuc honeſtè, ac rectè facere, quàm quæ honeſtè, ac rectè feciſſet ab aliis commemorari; negabatque aliam in re bene gerenda mercedem ſpectari oportere, quàm conſcientiæ pretium. Tac. in vit. Agr.
Fuit tamen tempus illud, cum acer, & intelligens hominum æſtimator Clemens XI., cum plures cooptavit in ſenatum præſtanti doctrinâ, & conſilio, Patres ampliſſimè de Nicomedienſis etiam Antiſtitis merito, ac dignitate decrevit. Credo ego, Pontificem illum ab hac mortali corporis concretione ſejunctum ſibimet placere apud Superos, quod ejus, quâ fruimur in præſens, nobis jecerit ſemina felicitatis, talemque virum in eo locaverit dignitatis gradu, unde ad ſummum quoque faſtigium eveheretur, & univerſo hominum generi eſſet incredibiliter profuturus. Age vero, quam propoſuit ſibi Cardinalis ampliſſimus a laboribus, quibus hactenus perfunctus fuerat, ceſſationem? Immo verò perinde, ac ſi tunc primum rerum gerendarum Tyrocinium poneret, nullas oſtendit ſummis viris eſſe oportere à præclaris actionibus ferias, nullam præſtantis exercendæ virtutis intermiſſionem. Non ita multorum annorum intervallo ſacris ferè omnibus Purpuratorum Patrum adſcriptus cœtibus, quos adhibere Pontifices in conſilii capiendi deliberatione ſolent, quantum Reipublicæ, ac bonis omnibus commodarit, nihil attinet commemorare. Vos ipſi aderatis unâ Collegæ veſtro, Patres Ampliſſimi, ſapientiamque ejus intuentes propiùs, tantam illius partem uni viro attributam eſſe demirabamini. Quàm ſimplex, bone Deus, quàm ſincerum in ferenda ſententia judicium, quàm ab omni cupiditate vacuum, quàm ad veritatis, juſtitiæque normam excogitatum! Perſpectum erat omnibus, nihil ab eo privatæ utilitati, ni-

nihil amicitiæ, nihil gratiæ, nihil cujusquam precibus tribui. Sed hoc æquitatis conservandæ studium, ut aliquantò magis in apertum proferam, finite me hoc loco, Auditores, modestissimi Principis pudori aliquid indulgere, & ab eo parumper avertere orationem meam, ut de ipso reticens, rem totam vobis ante oculos ponam. Neminem vestrum latet, quàm arduum sit, atque difficile, Romæ præsertim in tanto studio partium, tam discrepantia inter se judicia subire, itaque dissidentes voluntates hominum conciliare, ut sint illi quoque quidquid ipse senseris probaturi. Frequentes enim sunt in Romana Curia omnium ferè nationum, ac gentium jureconsulti, doctrinâ, sapientiâ, auctoritate, atque exercitatione clarissimi. Summum proinde inesse oportet in eo ingenii robur, ac firmitudinem, qui debeat penè dicam extempore, & rerum causas animo, & cogitatione complecti, & singula percontantibus diligenter occurrere, & immensam penè rerum molem totis memoriæ, atque intelligentiæ viribus sustinere. Hæc autem quàm feliciter expediverit, atque transegerit Laurentius Corsinus, non aliunde argumentum capiam, quàm ex iis, quæ vos ipsi oculis usurpabatis. Infinitâ prope doctissimorum virorum frequentiâ Corsina Domus celebrabatur, qui eum sive de provincialibus controversiis, sive de Ecclesiastica disciplina, sive de sacrorum cultu, ac religione consulerent, in rebus quibuscunque versatum reperiebant, ac si totum vitæ suæ spatium in unoquoque illarum genere contrivisset. Et cum hujusmodi esset in illo rerum gerendarum usus, mirabitur quispiam Religiosas Familias, etiam toto orbe terrarum celebratissimas, Gynæcea, Sodalitates, Collegia tam avidè sibi Cardinalis Corsini clientelam, quasi portum quemdam ab impendentibus tempestatibus tutum, ac salutarem depoposcisse? Innumeræ demandatæ illi fuerant hujusmodi procurationes, ut vel ea-

earum memoriâ retinendo censu obrui penè animus videretur. Adeo tamen præsto erat omnium saluti, atque famæ ut aliæ in dies, atque aliæ ab iis, quorum intererat, demandarentur. Et vero quî incredibiles amores non excitaret sui Princeps ille amantissimus, apud quem tam faciles essent aditus, nulliusque inopia, ac solitudo non modo populari illo, ac tribunali accessu, sed ne domûs quidem ipsius adytis prohiberetur? Quid? Parumne hoc indicare credas propensam in omnium ordinum, atque omnis fortunæ homines voluntatem, quod cum incommoda etiam valetudine uteretur, magnam diei partem, ad colloquium admitteret, quicumque à se vel consilium, vel patrocinium efflagitarent? O animi magnitudinem prædicandam, & ejus verè, qui se non sibi, sed toti mundo natum existimaret! Languebat viribus Princeps humanissimus, insomnes ducebat noctes, ac permolestis toto corpore doloribus conflictabatur: suæ tamen salutis planè immemor malebat aliorum commodis, utilitatique servire, quàm videri minus quàm posset Reipublicæ providere. At verò quod a negociis reliquum erat temporis in quiete, credo, atque honestis animi relaxationibus traducebat: Conveniebant scilicet statis horis ad Illum Dynastæ, Patricii, Proceres, Optimates, atque adolescentes primarii generis nobilitate, ingenio, eruditione, ac litteris ornatissimi, quibuscum convivaretur interdum, & à forensi strepitu animum recrearet. Sed quid aliud conventus ille fuit, nisi bene moratæ juventutis asylum, bonarum artium gymnasium, seminarium Reipublicæ, officina sapientiæ, ac diversorium virtutum omnium? Quem enim *recti persuasorem faciliorem* invenias, ut Cassiodori verba ponam, quàm eum *sub cujus prædicabili conversatione cæteros quoque pudeat probabiles mores non habere*? Porrò cum plerumque fiat, ut in illa sermonis communicatione erumpant liberiùs, quæ diu conclusa retinemus animi sensa, dici vix potest, Cassiod. ep. 4. l. 1.

quàm

quàm uberes inde florentissimus ille nobilitatis cœtus caperet sapientiæ fructus. Hærebat infixum animis singulare illud virtutum temperamentum, quæ quamquam in diversa ratione sunt positæ, eas tamen in amplissimo Cardinali mirabili nexu copulatas demirabantur. Tantam obstupescebant cum summa amplitudine animi demissionem, tantam cum eximia liberalitate continentiam, tantam cum incredibili mansuetudine severitatem. Neque verò hæc ostentatione quadam probitatis, sterilique præcipiendi studio in aliorum animos instillabat, ut illos non exemplo ipse suo, atque instituto vitæ genere condocefaceret: Nam ut de iis pauca dicam, quæ ad hominum charitatem, ac pietatem erga superos pertinent, & in quibus cætera contineantur necesse est: quis divinam planè liberalissimi Principis beneficientiam possit oratione consequi, cujus peramplum cæteroqui patrimonium quotannis in aliorum utilitatem effundebatur? Non commemorabo, quibus ille præmiis familiares affecerit, quàm lautè cùm in suburbana villa, tum in urbanis ædibus hospites, atque amicos exceperit, quantum pecuniæ ad augendam rem litterariam, aliasque liberales artes contulerit. Hæc omnia tacitus præteribo, utpote quæ in omnium oculos incurrentia orationis ornamenta non postulant. Ad illa venio, quæ, quamvis ea occultare de industria ipse vellet, palam tamen fiebant eorum, de quibus ipse benemeritus erat, prædicatione. Qui enim religiosus ordo fuit, qui Virginum sacrarum cœtus, quis alieno oppressus ære, quis egenus, quis inops, qui non munificentissimi Principis liberalitatem experiretur? Quid? Præter plura aureorum millia, quæ unica largitione non semel ad tuendam periclitantium puellarum famam impendit, præterque ingentem auri vim, quam ex privato ære in pauperes erogavit ipso initi Pontificatus die, nonne certò constat singulis annis ab eo fuisse, quantum satis esset ad unius viri Principis censum, miserorum egestati

ſtati ſublevandæ liberaliter impertitum? De Religione verò, ac pietate in ſuperos quid ego dicam? Dicam templa ſacrâ ſupellectili aucta, amplis redditibus locupletata, ac majorum ſuorum inſtituto penè à fundamentis refecta? Dicam anniverſarios Cœlitum feſtos dies omni ornatûs ſplendore, ac profuſis ab eo ſumptibus celebratos? Dicam, cum in Sacello Pontificio intereſſet, modeſtiam, atque in ſacris obeundis muneribus dignitatem? Nos ipſi quoties illum in hac Ignatiana æde, aut in proxima Xaveriana vidimus, vel cum ſuperos humi provolutus in genua demiſsè veneraretur, vel cum divinam rem faceret, vel cum ſolemnibus cæremoniis deſignatos minorum Eccleſiarum Epiſcopos inauguraret, vel cum Euchariſticum Angelorum panem ad plures horas circumfuſæ multitudini impertiretur? Video quamplurima multò exilius, atque jejunius à me, quàm pro ipſorum dignitate eſſe percurſa. Sed ad ipſum Pontificatum jam feſtinat Oratio mea. Hic enim verò non ſecus, ac Solis lumen præſtringit oculos, quominus aliò convertere aciem poſſint. Qua quidem in re quid primum, Auditores, quid poſtremum loquar? Num protractum paulò longius comitiorum exitum, ut ex accepti muneris tarditate magnitudinem æſtimaremus? Num diem S. Joanni Gualberto ſacrum, ut meritò delectum humani generis parentem eſſe conſtaret, qui magnanimâ, atque in omni vitâ perpetuâ injuriarum oblivione Civis illius Beatiſſimi manſuetudinem æmularetur? Num ſuffragatorum numerum, ac dignitatem, qui & ipſi ad illum honoris gradum idonei, eum tamen uni Corsino potiſſimùm convenire juris jurandi religione interpoſita teſtati ſunt? Num inditum ſibimet benignitatis, & comitatis plenum CLEMENTIS nomen, ut omnia pacata, atque tranquilla eventura eſſe, tam experto nobis dato gubernatore, confideremus? Quidquid momentis expendam ſuis, dubitare certè non poſſum, quin res tota hæc peculiari Dei im-

immortalis curâ administrata penitus videatur. Nam si in humanis eventibus vox ipsa, ac suffragatio populi, quod in proverbii loco est, divinum quoque judicium, ac voluntatem coarguit, poterat ne Cælum ipsum, Pontifex Beatissime, favere manifestiùs honori Tuo, quàm iis lætitiæ significationibus, quas Tibi omnium ætatum, atque ordinum homines exhibuerunt? Ubi palam factum est, Te esse unum, quem quatuor jam mensium votis moderatorem expetebamus, quæ Patriciorum, ac Procerum in Vaticanas ædes irruptio fuit! Qui nationum, ac gentium plausus! Quæ Regum, ac Cæsaris gratulatio! Atque ut omittam cætera: illo ipso die, quo non minùs Pontificiis cohortibus, Romanoque Senatu, & universo nobilitatis flore stipatus, quàm plaudentium elatus vocibus in Quirinalem Regiam Te contulisti, nonne immortalitatis instar, ac Pontificiæ Majestatis triumphum migrationem illam fuisse dicam? Perpetuum occupabat vias totius Civitatis agmen, septemque ipsi colles, ac tecta urbis convulsa penè sedibus suis Tibi obviam progredi videbantur. O spectaculum illud non hominibus modò, sed ipsis quoque Superis jucundissimum! Manabant nobis ex oculis indices illæ, quas Ambrosius vocat, pietatis lacrymæ: Tu quoque ipse Tuas humanitatis, ac benevolentiæ testes invicem rependebas. Quanta maximâ poteramus voce, comprecabamur, ut faustè Tibi prosperèque res cederent: Tu nutibus, ac dexteræ sublatione, beatam, æternamque vitam, quæque apud Superos viget salutem deprecabaris. Supremam Tibi uni creditam potestatem Proceres gratulabantur: Tu observantiam jure debitam in beneficii parte numerabas, & non secus, ac esset voluntarium officii genus modestissimâ grati animi significatione prosequebaris. Contentio erat utrinque: adnitebamur nos, ut filiorum pietatem erga humani generis parentem ostenderemus: Tu, ut in filios paternum verè animum, ac benevolentissimum declara-

res.

res. Neque verò frustrata nos opinio est. Ubi enim ex edita ista specula universum Christianum orbem circumspexisti, quid antiquius Tibi fuit, quàm ut, qui potestate, & honore cunctis jam hominibus antecellebas, ab eorum nullo salutis communis tuendæ studio superareris? Siquidem quæ statim annonæ facilitas est consecuta, viliori a Te constituto rerum pretio! Quàm sapientes leges impositæ! Quanta spes bonis omnibus, ad bene de Republica sperandum, ostensa! Quid mihi igitur Poëtæ veteres auream illam ætatem fabulis comminiscuntur suis, cum, quemadmodum Posidonius apud Senecam memorat, & sapientes regnarent, & cæteris imperare Principem officium esset, non regnum? Nobis enim verò auream Ep. 91. ætatem obtigisse dicendum est sub illo Principe, in quo nihil amplitudo fortunæ mutavit, nisi ut prodesse tantumdem hominum generi posset, quantum vellet. Equidem sic existimo, ad summam in dominatu felicitatem conducere plurimum, ut eorum, quibus benefacere velit Princeps, dijudicare merita per se ipse possit, atque discernere, &, quod memoriæ litteris proditum video, Principis virtutem esse maximam, nosse suos. Jam verò honores, magistratus, ac prefecturas nonne iis non semel esse commissas vidimus, qui, quod eas non optarent, non peterent, prope etiam rec[illegible], idcirco ad illas gerendas maximè omnium id[illegible]perti sunt? Antevertis benefaciendo, Pontifex sap[illegible]me, æstimasque ipse priùs cujuscumque merita, quàm æstimentur ab iis, quibus meritorum præmia conferri debeant. Illud vero quantam nobis ocii, ac felicitatis spem facit, quod ad Cæsarem, Regesque litteras humanitatis, & officii plenas dederis, quibus commonefacis illos, ut omni simultate deposita, universa studia sua ad tranquillum, pacatumque Reipublicæ statum conferant! Auditæ jam sunt a Christiano grege amantissimi Pastoris voces, authoritateque Tua sancientur, uti confidimus, pacis conditiones illæ, quæ

nulla

nulla possint umquam indignationis aura dimoveri, nulla cupiditate corrumpi, nullis animorum perturbationibus labefactari. His vigilantiâ, ac sapientiâ Tua partis humano generi prosperitatibus illud etiam accedit, quod eximias animi dotes, atque ornamenta in posteros etiam Tuos admirabili quadam propagatione diffuderis: nullusque planè est, qui, quam tecum habet, sanguinis conjunctionem non eò unicè referat, ut egregios mores Tuos proponat sibi tamquam ad imitandum exemplar absolutissimum. Equidem cum Te Capitolium nuper triumphali planè ritu, & summa cum bonorum omnium gratulatione conscendentem viderem, positasque in fornice Farnesiano virtutum Tuarum præstantissimarum imagines contemplarer: Hem, cæpi egomet sic mecum tacitus cogitare: illæ quidem vetustate temporis aliquando labefactatæ concidant, atque intereant necesse est. Vivas tamen, ac spirantes habet in amplissima cognatione sua CLEMENS, in quas non posteritas modo possit, sed ipsa etiam æternitas intueri. Quæ cum ita sint gaude isto tam insigni bono, CLEMENS *Beatissime*, & eximiâ rerum præclarè gestarum perpetuitate lætus jucundissima illa voluptate, quæ rectè factorum conscientiam consequitur, in plu[illegible], ac plures annos fruere: hoc etiam nomine quam simillimus D[illegible] cujus vicariam potestatem in terris geris, quod nihil [illegible] nihil agere omnino possis, quod non summa cum [illegible], atque gloria conjunctum sit. Vive igitur diutissimè, vive populorum saluti, bonorum omnium felicitati, orbis terrarum præsidio, vive gloriæ, quæ huic ætati nostræ dato Te illi moderatore, atque præside contigit sempiterna.

FINIS.

